



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

IX. V. possint ij, qui tàm scrupulosè in omnium peccatoru[m]
enumeratione occupantur, pace[m] conscientiae comparare; vel via aliqua
iudiciu[m] Dei euadere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

rectè operemur, adhuc effugiunt nos, quotidie plurima, quibus DEVM offendimus. Sed quemadmodum ista, nequaquam ex animo facimus; ita neq; illa sponte celandi sunt. Nec satis est, quòd multa nobis incognita sint delicta, præcipere, ne quis præsumat omnia confiteri mortalia; sicut neque sufficit, vt quis vetet quempiam conari singula rectè agere, propterea, quòd nemo potest in pluribus neutiquàm offendere. Quamobrem & nobis enitendum est, vt vtrunque, tam vt rectissimè agamus, dum aliquid operamur, quàm vt purè integreque confiteamur, cum ad Sacerdotem accedimus.

Adde, quòd etiam si omnia confiteantur peccatores, adhuc omnia relinquunt misericordiæ DEI ignoscenda; quoniã et si peccatores omnia cõfiteantur peccata, immensam tamen exercet misericordiã DEVS, omnia remittēs: Cum etiam si omnia opera, quantumlibet exactè fecerimus, magnã nobis exhibet misericordiam, cum ea ad vitam acceptat æternam: Quoniam non sunt cõdignæ Rom. 7. passiones huius sæculi, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Possuntne ij, qui tam scrupulosè in omnium peccatorũ enumeratione occupantur, pacem conscientie comparare; vel via aliqua iudicium

DEI euadere?

Quin

*Quæstio
IX.*

Caput III. De Qualitate

Responſio. QVI Nimò ij, qui vel vnum peccatum mortale, quod videtur confitendum, & memoria occurrit, studio calant, nullam pacem conscientia vnquam habituri, aut iudicium DE I euasuri ſunt. Nam ſi iudicium DE I peccator aliter vitare non poteſt, niſi per Confessionem peccatorum, cum nullum ſit mortale delictum, quod non aduerſus DE VM inimicitiam in ſe contineat; quomodò ſine DE I iniuria, poſſet vnum ex eis potiùs quàm aliud ſubtricare? Et ſi peccatum vnum, vel minimum ad damnationem peccatoris ſufficiat, quam conscientie pacem habere poteſt, qui tam loethale venenum per Confessionem nolit euomere?

Ad hæc; Aut eſt omninò neceſſarium peccatori, vt peccatum aliquod Sacerdoti pandat, aut, id eſt omninò ſuperuacaneum, cum poſſet abſolui, nullum omninò peccatum detegens. Nò iſtud opinor dicturus es, cum per medendi modum res hæc agatur, ita vt Sacerdotem (qui Medicus eſt) oporteat antè cognoscere morbum & vulnus, ac deinde ſententiam ferre. Quòd ſi primum conſeſſeris, qua ratione non tenebitur cetera, quemadmodum vnum aliquod ex eis confiteri. De illis vbiq; loquor, quæ confitentis occurrunt memoria. Nam quodlibet horù (quæ mortalia ſunt, & in mentè confeſſuro veniunt) æqualiter indiget Abſolutione.

Nec mihi dixeris, quòd vt ea, quæ non occur-

occurrunt, solvuntur, ita & cætera, quæ sub-
ticiuntur, possunt absolui. Nulla consequen-
tia est. Nam longè aliter de iis atque de illis
existimare debemus.

Quum enim benignissimus DEVS no-
ster non exigat à nobis impossibilia, non est
dubium, quin, si (facta congrua diligentia)
quædam nos fugerint, ea neutiquam impu-
tabuntur nobis; sed de illis, quæ facili-
tè possunt occurrere, si vel minimum tacueri-
mus, quod nobis visum est mortale esse; ni-
hil nobis proderit Absolutio: Nam ut illud,
quod non occurrit, non potest prodi; ita
quod occurrit, facili-è poterit expromi,
& nisi detegatur, curari non potest. Cate-
rùm quisquis omnia, quæ sibi occurrerint,
confitebitur, is nimirum & conscientiæ pa-
cem habiturus est, & DEI simul euadet iu-
dicium.

Pax con-
scientiæ.

*Quid faciendum est, cùm Confessio in-
tegra non est ex negligenti discus-
sione conscientiæ pœ-
nitentis?*

*Quæstio
X.*

SI ex industria fuit negligens, aut conscien-
tiam examinare contempserit, quemad-
modum contingit ei, qui per annum in-
tegrum non est confessus, & accedit ad
Confessionem sine aliqua examinatione;
optans quidem omnia occurrere memo-
riæ,

*Respon-
sio.*